

Anno dominice incarnationis milleximo centesimo octuageximo, mense magi, indictione XIII. Constat me Ubertum qui dicor Christophani de loco Rodello, qui professus sum lege vivere Langobardorum, accepisse sicuti et in presentia testium manifestus sum quod accepi a te Arderico qui diceris Bugato de loco Cixiano exinde argenti denariorum bonorum libras sex finito pretio, sicut inter nos convenit, pro peciis quatuordecim camporum, quas habere et possidere visus sum in suprascripto loco et fondo Rodello.

Prima petia iacet ad locum ubi dicitur in Valle: coeret ei a mane heredis Uberti Pagani, a meridie grumi, a sero *****. Secunda petia iacet ad locum ubi dicitur a Silva Benzoni, et est ei a mane Sancti Ambroxii, a meridie heredis suprascripti Uberti, a sero illorum de Terzago. Tercius campus iacet ad locum ubi dicitur Inter Duas Stradas: a mane, a meridie et a sero heredis Guidonis Brunengi.

Et sunt suprascripti campi insimul per mensuram perticas legiptimas quinquaginta; et si amplius fuerint, maneant in hac vendicione. Quos autem campos superius dictos cum superioribus et inferioribus seu cum finibus et accessionibus suis in integrum ab hac die tibi qui supra Arderico emptori meo per hanc cartam et pro suprascripto pretio vendo, trado, mancipo, et fatiat exinde a presenti die tu et cui tu dederis vestrisque heredibus, iuris proprietario nomine, quicquid volueritis sine omni mea et heredum meorum contradicione.